

## Ad Cor Jesu Eucharisticum

### Pacis Principem

*Ingemicentis diutino bello animae Vota.*

---

Qualem, cum educens ultricem coelitus iram  
Avius a recto perditus omnis homo est;  
Emissaeque diu necuerunt corpora nubes,  
Effigiem Artificis non venerata sui,  
Foedatis tumulis redeuntem tuta columbam  
Arca Dei excepit, nuntia fluctivaga;  
Ad Te bellisonis actam per compita taedis  
Me excipe, et optatam, Qui potes, affer opem.  
Alta quies Tecum, totus cum saeviat orbis:  
Si undique bella furunt, pax comes alma Tibi.  
Oh pateas flenti, Cor Jesu pacis origo,  
Exaudi, et, si qua est gratia, comple preces!  
Unicus insisto exorans: communia vota  
Sed referens, solves quæ tuo ab ostiolo.  
Eheu! Sed tristes tentantis dicere casus,  
Queis finem ponas arbiter Ipse potens,  
Insurgunt gemitus rumpentes gutture vocem.  
Non verba orantis; prex lacrimantis erit.  
En quo produxit periturum nunc prope mundum  
Te vitæ fontem deseruisse piaie!  
En regnat Bellona potens: furibunda per orbem  
Ignivomos sonitus tristia bella cient.  
In regnum regnum pugnat, frementes livore  
In fratres fratres crimina prisca novant.  
Nec requies necibus: non si sole aestuet artus,  
Montanaeve nivis frigore membra rigent.  
Nec locus est tutus: serpit glans plumbea campos  
Vulnifica, et caecum per mare quaerit iter.